



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 53. Liber Joannis Maxentii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

**Sæculum VI.** Paulus, quem Imperator Patriarcham  
 A. C. 521. Antiochenum ordinari expulso Severo  
*Sup. §. 44.* curaverat, a Populo, aliisque Clericis  
 suis accusabatur, & multi apud Impera-  
 torem instabant, ut rem istam in Judicio  
 discuti permetteret. Timuit Paulus, ne,  
 si causa examinaretur in Judicio, pejorem  
 fortunam experiretur, atque stimulante  
 conscientia Libellum obtulit, in quo spon-  
 te sua Episcopatum abdicabat, petens li-  
 centiam aliquo se recipiendi, ubi quiete  
 reliquum vitæ tempus ageret. Hanc  
*to. 4. Conc. p. 1555.* rem Imperator, & Patriarcha Constanti-  
 nopolitanus Papæ prima die Maji, 521.  
 Justiniano, & Valerio Consulibus perscri-  
*Evagr. IV. p. 551.* pserunt. Paulo post hæc Paulus vitam  
*hist. c. 4.* posuit, cum Sedem Antiochenam tenuis-  
 set ferme annis duobus. Ipsi successit  
 Euphrasius Jerosolymita, & sedit annis  
 quinque.

## §. LIII.

*Liber Joannis Maxentii.*

*to. 4. Bibl. PP. p. 547. p. 551.* Joannes Maxentius Constantinopolim  
 reversus Librum scripsit contra Papæ  
 ad Possessorem Epistolam; simulat vero  
 se credere, illam ex Pontificis calamo non  
 fluxisse, sed partum esse cujusdam Mona-  
 chorum Scytharum Adversarii, qui Papæ  
 opus commentus esset. Queritur, ipsos  
 a Papa nullum impetrare potuisse respon-  
 sum, postquam Mensibus omnino qua-  
 tuorde-



tuordecim Romæ fuissent commorati, & <sup>Sæculum VI.</sup> quamvis toto illo tempore Communione <sup>A.C. 521.</sup> sua dignos habuisset; at Pontificem contra se Dioscori Legati sui suggestionibus <sup>p. 554.</sup> præventum, cum eum propediem rediturum expectaret, ipsum voluisse ab infamia liberare, & prohibere, ne publice a Monachis Hæresis convinceretur. Hinc immisisse Ecclesiæ Defensores, qui se vi adhibita ex urbe ejicerent; tunc igitur compulsos se, ut coram Populo in locis publicis protestarentur, ne clam aufugisse accusarentur. Quod ad Doctrinam spectat, Joannes Maxentius ubique defendit, quemcunque, qui non dicit: *Unus ex Trinitate passus est*, Hæreticum, & Nestorianum esse. Tales etiam esse Auctorem Epistolæ, quam oppugnat, Dioscorum Legatum & Possessorem, affirmare audet. Subjungit: *confidenter dico! si Papa non data epistola sed hic loci ipse præsens viva voce probiberet, hanc Propositionem proferrî, nunquam Ecclesia Dei consentiret, nec eum pro Episcopo Catholico haberet, sed execraretur tanquam Hæreticum.* Dicit, fraudem esse, huic Propositioni vocem: *Persona*, addere, & dicere: *Una Persona ex Trinitate passa est.*

Maxentius Libros Fausti Rejenfis Hæreticos, & Possessorem præcipuum illorum Defensorem esse affirmat, hinc conqueritur, quod Papa eorum Lectionem <sup>p. 536.</sup>



Sæculum VI. non prohibeat. Refert aliquos ex Fausti  
 A.C. 521. Libro textus, quos a Semipelagianismi  
 labe purgare res est haud facilis negotii.  
 v. Boll. 16. Nihilominus Fausti Personam nunquam  
 Jan. p. 28. fuisse damnatam legimus, imo legimus,  
 Baron. ap. in Ecclesia sua Rejensi inter Sanctos co-  
 to. 6. an. 490. li; inde scripta retractasse, aut saltem in  
 Ecclesiæ Communionem mortuus credi-  
 tur.

## §. LIV.

## S. Fulgentii Libri.

av. Fulgent. Monachi ex Scythia, cum Romæ ver-  
 ep. 16. edit. farentur, ad Episcopos Africae a Van-  
 Paris. 1684. dalis in Sardiniam relegatos Epistolam de-  
 derunt. Epistolæ præfixum est Nomen  
 Petri Diaconi & Confratrum ejus, qui  
 propter Quæstiones Fidei ex Oriente Ro-  
 mam missi fuerunt. Et quatuor Mona-  
 chi nempe idem Petrus Diaconus, Joan-  
 nes & Leoncius Monachi, & Joannes  
 Lector subscripserunt. Hæc epistola  
 duas Partes primam de Incarnatione, se-  
 cundam de Gratia complectitur, & in  
 Præfatione Monachi ab Episcopis Africae  
 petunt, ut eam Examini subjiciant, suam  
 edicant Sententiam, & Catholici Orien-  
 tis, tot Episcoporum Occidentis, propter  
 Fidem Persecutionem patientium, con-  
 sensu confirmentur. S. Fulgentio cete-  
 ris ita decernentibus huic epistolæ re-  
 spondendi Provincia obtigit. Anni fer-  
 me

Ep. 17. Sup.  
 l. XXX.

non

v. l. a.